

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6346

Auteur(s) : Gautier Rousselin [particulier]

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Lô (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1101-1200]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Autre charte de Gautier Rousselin faisant à Saint-Lô plusieurs donations.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. De Glanville Léonce, *Histoire du Prieuré de Saint-Lô de Rouen*, ses prieurs, ses privilèges, ses revenus d'après les documents authentiques tirés des archives de la Seine-Inférieure et mis en ordre, Rouen, E. Cagniard, 1890-1891, 2 vol., t. 2, pièces justificatives, n° XVIII a, p. 328-329.

Dissertation critique

De Granville propose : « doit être de 1100 ». Il date l'acte précédent (de la même édition) du même donateur du XIIe siècle. Cet acte peut être daté de la même époque.

Texte établi d'après a

Sciunt omnes quod ego Galterus Rocelin in principio dedi et concessi Sancto Laudo et carta cum sigillo meo confirmavi XX libras et XX sol. redditus propter procurationem meam et VI sol. redditus pro iacere meo sicut scriptum est in predicta carta. Postea dedi Sancto Laudo et concessi post decessum meum et carta cum sigillo meo confirmavi XLIII sol. redditus videlicet pro anima mea et pro anima matris mee. De his autem XLIII solidis triginta sol. erunt ad procurationem conventus annuatim in anniversario meo et XIII solidi similiter erunt ad procurationem conventus annuatim in anniversario matris mee que scilicet dimisit Sancto Laudo XII sol. redditus in obitu suo. Predicti autem XXX sol. qui sunt de proprio conquestu et achato meo in diversis tenementis recipiendi sunt. Scilicet XXV sol. in terra que est super fossatum quam Ranold. de Sancto Silvestro tenet de me hereditarie, per XXV sol. redditus reddendos IIIor terminis anni scilicet VI sol. et III d. ad Natale Domini, et VI sol. et III d. ad Pascha et VI sol. et III d. ad festum Sancti Iohannis Baptiste. et totidem ad festum Sancti Michaelis. Salvo tamen iure domini illius feodi scilicet III sol. qui sunt prioris de Monte leprosororum. De predictis quoque XXV sol. ego recipio XX. sol. et prior Sancti Laudi recipit V. sol. de quibus retinet sibi II. sol. et III sol. reddit prioris de Monte leprosororum duobus terminis scilicet XVIII. d. ad Natale Domini et totidem ad festum Sancti Iohannis Baptiste. Item recipiendi sunt VIII. sol. in terra que est in ruella Sancti Laurentii quam Radulfus de Passagio tenet de me hereditarie per VIII. sol. redditus reddendos duobus terminis. videlicet IIIor sol. ad Pascha et totidem ad festum Sancti Michaelis. Salvo tamen iure domini illius feodi scilicet IIIor. sol. Item recipiendi sunt II. sol. in terra Sancte Crucis quam teneo de dominis Sancti Laudi per III. sol. redditus reddendos ad festum Sancti Michaelis. Item recipiendi sunt VI. sol. in terra que est in Dordona quam Robertus nigra pellis tenet de me per VI. sol. reddendos duobus terminis scilicet III. sol. ad Natale Domini et III. sol. ad festum Sancti Iohannis Baptiste. salvo tamen iure domini illius

feodi scilicet II. sol. qui sunt comitis Leicestrie. De predictis quoque XIII. sol. qui pro anima matris mee recipiendi sunt III. sol. in terra que est in ruella Sancti Petri de Castello quam Johanna filia Mathildis Grosse tenet de me per III. sol. redditus reddendos uno termino anni, scilicet ad Natale Domini. Item recipiendi sunt V. sol. in terra que est in ruella macelli iuxta monasterium Sancti Johannis quam Ricardus Marescot tenet de me per V. sol. redditus reddendos duobus terminis, scilicet II. sol. et dimidium ad Natale Domini et totidem ad festum Sancti Johannis Baptiste. Item recipiendi sunt V. sol. in terra Ste Crucis quam Thomas Legalis presbiter tenet de me per V. sol. redditus reddendos duobus terminis, scilicet II. sol. et dimidium ad Pascha et totidem ad festum Sancti Michaelis. Testibus his Nicholao de Dieppa. Philippo Cambitore. Iohanne Baticoc et multis aliis.